

**Johannes Aepinus namens der Hamburger Pfarrerschaft an Peder Palladius,  
Johannes Machabeus und die übrigen Theologen der Universität Kopenhagen,  
Hamburg 29. Juni 1548:<sup>1</sup>**

- 5 Magnificis, clarissimis atque doctissimis Viris, Domino Doctori Petro Palladio, Ecclesiae Daniae Superintendenti, Domino Doctori Johanni Macchabaeo, SS. Theologiae Professori, et reliquis Theologiae Doctoribus et Licensiatis in Universitate Haffniensi, Dominis et Amicis suis obseruantissimis, salutem per Jesum Christum.
- 10 Sicut Esaias non tam propter suas et Ecclesiae calamitates, quam propter multitudinem Apostatarum et paucitatem fidelium dolebat,<sup>2</sup> ita nos quoque, Domini et Fratres observantissimi, non tam de periculis, quae nobis impendent, quam de fratribus, qui eandem nobiscum fidem profitentur, solliciti sumus. Ideoque ex fraterna et uere christiana charitate, qua erga  
15 Vestras Dignitates affecti sumus, intermittere haud potuimus, quin V. D. significaremus, Caesaream Majestatem misisse ad prudentissimum Vrbis nostrae Senatum libellum de Ecclesiarum Reformatione, quem *Interim* [65:] appellant (uerius *Interitum* dicerent),<sup>3</sup> in hisce Comitiis a Cardinalibus, Episcopis et sacrificulis monstrosoe praeter Religionis Sincerae et Ecclesiae  
20 consuetudinem editum, eique addidisse mandatum serium et graue,<sup>4</sup> ut omnia, quae Interim praescribit, sine tergiuersatione a nostra Ciuitate approbentur et recipiantur. Cum uero nos eum librum, a Senatu prudentissimo nobis exhibitum, perlegeremus, inuenimus in eo multa, quae neque salua fide, religione et conscientia, neque sine magno tumultu et seditione  
25 recipi et admitti a nobis possunt. Multa enim cum uera, quam nunc Dei benignitate profitemur, doctrina aperte pugnant: pleraque, etsi cum nostris dogmatibus consentire uidetur, tamen reuera aliquid monstri alunt. Quare cum potius effundere sanguinem, quam ab agnita et ea, quam hactenus docuimus, ueritate recedere ex gratia Dei parati simus, de nostro officio  
30 suasimus Senatui, ut in hac causa Majestatem diuinam Caesareae Majestati anteponeret,<sup>5</sup> et sese quibus optime posset rationibus apud Caesaream Majestatem excusaret, quod Interim recipere haud posset, atque rei exitum Deo committeret, qui Ecclesiam mirabili consilio seruare ac defendere et uult et potest. Neque dubitamus, quin nostro consilio, quod pium est, Senatus  
35 ac tota Ciuitas sit obtemperatura.
- [66:] Quia autem existimamus eum libellum ad Serenissimum regem Daniae, Dominum nostrum clementissimum, eadem ratione missum esse, nec non

<sup>1</sup> Dänische Bibliothec 5 (1744), 64–67.

<sup>2</sup> Vgl. z. B. Jes 1,2–9.

<sup>3</sup> Zu dem Wortspiel vgl. u. a. Pasquillus, unsere Ausgabe Nr. 14, S. 735f.

<sup>4</sup> Vgl. DRTA.JR 18/2, 1866 (Nr. 204); Rabe, Entstehung des Augsburger Interims, 96 mit Anm. 274.

<sup>5</sup> Vgl. Mt 22,21; Act 5,29.